

*Nunc scio vere quia Dominus eripuit me  
de manu Herodis.*

Lectio Actuum Apostolorum

12, 1-11

In diebus illis:

- <sup>1</sup> Misit Heródes rex manus,  
ut afflígeret quosdam de ecclésia.
- <sup>2</sup> Occídít autem Iacóbum fratrem Ioánnis gládio.
- <sup>3</sup> Videns autem quia placéret Iudáeis,  
appósuit apprehéndere et Petrum  
— erant autem dies Azymórum —
- <sup>4</sup> quem cum apprehendísset, misit in cárcerem  
tradens quáttuor quaterniónibus mílitum custodíre eum,  
volens post Pascha producere eum pópulo.
- <sup>5</sup> Et Petrus quidem servabátur in cárcere;  
orátio autem fiébat sine intermissióne  
ab ecclésia ad Deum pro eo.
- <sup>6</sup> Cum autem productúrus eum esset Heródes,  
in ipsa nocte erat Petrus dórmiens inter duos mílites  
vinctus caténis duábus,  
et custódes ante óstium custodiébant cárcerem.
- <sup>7</sup> Et ecce ángelus Dómini ástitit,  
et lumen refúlsit in habitáculo;  
percússo autem látere Petri,  
suscitávit eum dicens: «Surge velóciter!».  
Et cecidérunt caténæ de mánibus eius.
- <sup>8</sup> Dixit autem ángelus ad eum:  
«Præcingere et cálcea te sandália tua!».  
Et fecit sic.  
Et dicit illi:  
«Circúmda tibi vestiméntum tuum et séquere me!».
- <sup>9</sup> Et éxiens sequebátur  
et nesciébat quia verum est, quod fiébat per ángelum;

æstimábat autem se visum vidére.

- <sup>10</sup> Transeúntes autem primam custódiam et secúndam  
venérunt ad portam férream, quæ ducit ad civitátem,  
quæ ultro apérta est eis,  
et exeúntes processérunt vicum unum,  
et contínuo discéssit ángelus ab eo.
- <sup>11</sup> Et Petrus ad se revérsus dixit:  
«Nunc scio vere quia misit Dóminus ángelum suum  
et erípuit me de manu Heródis  
et de omni exspectatióne plebis Iudæórum».

Verbum Dómini.